

SYMBOLICUS HORTUS POMIFERUS RELIGIONIS RAMIS , VIRTUTUM FRONDIBUS, SAPIENTIÆ FLORIBUS , ET VARIETATE COLORUM LIBANI ABUNDANS;

VERE CONCLUSUS:
Nam vulnerati Jacob circumcinctus funiculo , quasi muro pyrophoro , qui heremias avertat in quietem;

VERE PENSILIS HORTUS DOMINI:
Quia non terræ affixus , sed supereminens terram , dum non camerantibus columbis, sed Dei Hominis ad illam ligati columna robustè fulcitur;

VERE PARADISUS DELICIARUM:
Aromatum siquidem areis consitus septem amœnis , variorum pubescet pulchritudine florum , dum Austro aspirante Divino , ambrosia ritè electorum emittat germina;& mirificos expirabit halitus multiplices , dum rectè delectorum fragrascat floribus;


GERMASCET IGITUR , ET FLORESCET IN EMPORIO Hispalensi , dum Bœtico-Seraphica Observantum Eparchia selectissimum eligat Eparchum , florigeris sertis coronandum sponsum, qui pervigiles assignet Topiarios , quorum industria viridantes, florentes , ac in fructus erumpentes conserventur stirpes;

FRAGRABITQUE , DUM PER QUATRIDUUM aromaticis halitibus redoleant tot glumula florum , quot florico maoramina ; perque triduum suavissimi subtiles vapores è theosophicis aromatibus afflentur , qui Magnæ Domus Seraphici Jacob ambitum occupantes , adstantium animos pythagogia clyzescant.

A die 16. mensis Septembris , usque ad 19. ejusdem inclusivè, anni Domini MCC.LXIII.

SYNOPSIS ÆNIGMATICI HORTI BOETICUM Minoriticum adumbrantis Provincialem Congresſum.

VENI AUSTER, PERFLA HORTUM MEUM, ET FLUANT aromata illius. Cant. Cap. IV.



UM hortus ſponſæ (1) non ſit hortus olerum, ſed pomarium fundatum ſupra montem myrrhæ, & in colle thuris; ſive hortus regius arborum frugiferarum ubertate, florum, ſtirpiumque ſelectiſsimarum ſuavi fragrantia conſitus, & arte topiaria ad omnem elegantiam, amœnitatemque ita compoſitus, ut Heſperidum hortum vincat euprepia, excedat euporia; ſiquidem ejus aromaticæ *areæ* (2) ſimul congeſtæ ſunt *Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo, nardi & croci, fiſtulæ & cinnamomi, cum univerſis lignis libani, myrrhæ & aloes, cum omnibus ſpeciebus laudabilium aromatum,* (3) optat illa ſummoperè Auſtrum, qui eſt gratus, ſalutaris, ac lenis ventus, tranſvolare ad ipſum, ut omnes plantas, & arbuſta robuſta aperiat, laxet, calefaciatque mollibus afflatibus, qui ea germinare conficiant, & flores, fructuſque pulleſcere. (4) Sic etenim ſuaviſsimos expirabunt flatus aromata, in quorum odorem dilectus ſponſus cum ſoladibus currens, (5) ad talem locum perveniet alacritèr, ac viridanti, ridentique plus exhilarabitur aſpectu, floribus pulcherrimis, delicatiſsimiſque fructibus. Sic cortex Litteræ. Cæterum ſcindatur cortex, eruatur medulla, delicando myſteria.

Hac in ſponſa myſticè adumbratur Seraphica Eparchia Bœtica, quæ Auſtrum ventilare Divinum cupit hortum ipſius, videlicet, Provincialem Congreſſum, ſupra montem myrrhæ, & in colle thuris, quaſi ſupra binas Amphitryoniadis columnas, (quas non incurvabit tempus, nec laudatum diagramma eis abrogabit edax tinea illius) Chriſtum Jeſum, nempe, (6) manibus ad columnam ligatis, (quo ejus decorum ſtemma portenditur) fundatum; conſitumque non fabularibus plantationibus, aut fictis pomis, ſicut Heſperidum hortus, vel mendacibus ſedibus delicioſis, ſicut Eliſii agri, ſed amœnis areis ſeptem plurium arborum, & aromaticarum ſtirpium, (quę ſuprà notantur, & ampliùs delicabuntur infrâ) combinatarum, & arte topiaria ad omnem elegantiam diſpoſitarum; ſic felicius creſcunt, ut gemellæ ſorores eſſe videantur, mirumque odoramentum diffundant, ſicut ad ſimile canit Virgilius: (7)

Et vos, ò lauri carpam, & te proxima myrte,
Sic poſitę quoniam ſuaves miſcetis odores.

Ex quibus areis quatuor primæ traduntur cultoribus quatuor, celebris apud omnes nominis, famæque summę florentissimis Oratoribus, qui floribus eloquentiæ in sapientia spiritus, & virtutis expirent suavissimos halitus, mellifluas voces, dum canescant herbæ rore recenti quater. Tribus ultimis deputantur totidem Cataphracti Custodes in Scholâstico Theologico Viridario Doctoris Subtilis versati valdè, qui areas occludant fortissimis sepibus, earum amœnitatem tutantibus, ut exhibeant specialem fragrantiam, dum ter astrifero procedat vesper olympo. Ut talia germinet hortus, mirificosque diffundat vapores, avidè, inquam, cupit Eparchia nostra, in illo excitari aflatum supernum. Sed quorsum hæc? Seu ad quid tale, tantumque fragrantium aromatum odoramentum? Ut lepida fragrantia allectus descendat in hortum, ad areolas aromatum dilectus cum sodalibus suis, onerari, & honorari veniens, qui in culmen dignitatis evectus, zelo Religionis onustus, hæreditatem amplificet, ac muniat sepibus, ut indè mirabilibus ampla, hinc muniminе tuta, nec decor, nec virtus, nec gloria flaccescat, sed maximè vigeat viridanti decore, virtutum floribus fragrascat, gloriæ fructibus lenocinetur, tanquam Paradisus deliciarum, vel hæreditas Domini, deliciis affluens, donec habitatores loci, tanta gloria blandientis, ex illo ad æternam hæreditatem digerantur à Domino in sęcula sempiterna. Amen.

(1) Genabr. (2) R. Sal. (3) Chald. (4) Theodor. (6) Nissen. (7) Virgilius apud Cirnel.



AREA

AREA PRIMA MALORUM PUNICORUM CUM POMORUM FRUCTIBUS.

MIrabilis hujus fertilissimæ areæ venustas obstenditur, dum malum punicum verticem coronatum habens, intra viscera ingentem granorum cumulum, ceu totidem rubinos obstentat. Nec minus vernat pomorum omnis generis blandienti copia.

Bma. VIRGO DEI GENITRIX MARIA

IN PRIMO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS PHYSICO puncto quam optimè signatur in ista! quia est malogranatorum, & pomorum sacrorum area selectissima, foliis, floribus, ac fructu cumulata multiplici, superveniente spiritus afflatu Divini: extra blanditur cultus viridantium donorum, diadema purpureis foliis ornatum, conspectui delectabile; triumphum portendens de infernali serpente; (1) cæterum intrà animum mulcet fructus undequaque pulcherrimus: omnis gloria ejus ab intùs in granis aureis spiritualium charismatum, circumamicta varietate, vel ab origine.

Arbor quædam nascitur in Meda, pomum portans summè odoriferum, quæ tantæ fœcunditatis existit, ut, pomo uno collecto, statim nascatur, & cōsurgat aliud. (2) Arbor pomifera fuit Bma. Virgo ab æterno prȩservata, & præordinata, ut ferret Divinum pomum Jesum, in quo fructu multiplex est fructus; in uno Salvatore Jesu plurimos peperit ad salutem, (3) sicque bené clamat sponso Divino: in portis nostris omnia poma: nova, & vetera servavi tibi. (4)

Hoc de ipsis proferre anhelant Minores, quorum est Mater, ac singularis Protectrix; undè ei deprecantur, ut inhabitet in concilio, sivè Provinciali congressu, invitando Electores aureis gratiæ granis, pomisque divinis, quibus suffulti electionum iter ambulent rectè.

En spatiosa
Area florens
Proxima Divis.
Malis gravescit punicis,
Visus stupet, robur animi!
Magis solo Hesperidum ferax.
Pomum Divinum protulit imbre sacro,
Indi pomi instar dulcia poma gerit
Ex tunc, humanis cordibus atque jacit.
Assiduos ergo his pomis ditare clientes,
Possimus ardenti corde, Immaculata Patrona,
Noster procedat congressus prospere in omni.

Ad istam aream diriget sermonem compositum odore oris ejus sicut malorum P. Fr. Isidorus de Castro in Magna Hispalensi Domo Sacræsophiæ clarissimus Lector, qui agens Religionis vicem extollet vocem in laudem Virginis Mariæ, illam annuntiando nunquam Lipothymia læsam.

LÆtiſsima area, quia cyprus eſt arbor, floribus candidis cincinnorum inſtar pendentibus ornata, & venuſtis granis; nardus verò eſt frutex præſtantiſsimus odoratiſsimusque, efficaciſsimas vires ad quam plurimos morbos habens. (5) Quam apte!

CHERUBICUS P. N. S. DOMINICUS.

IN ISTA PORTENDITUR; NAM ÆTERNI EX PECTORE Patris ſacra hauſit ſemina vitæ, quibus Religionis celeberrimæ plantavit Paradiſum deliciarum, ubi germinant procera arbuſta flores candidos inſtar cypri, (6) ſivè florida divinæ ſapientiæ verba proferunt cum operum fructibus ad convertendum infideles. Vernat ultrà venuſtis candidis floribus, quibus efformatur iris florigerus, Dei thronum circundans Mariam.

In granis denique cypri exprimitur gratia, quæ velut ſacrum manna è Cœlo depluit: (7) verè manna gratioſum mirè conſpicitur in hac uberrima area, de Cœlo deſcendens; ſiquidem pane Angelorum abundat, quo paratur convivium mirificum; ſic canit Eccleſia: Ad hoc convivium tam magnificum elegit nuncium Sanctum Dominicum.

Nec pro debita diſpoſitione in acceſſu ad illud deſunt hic nardi odoratiſsimæ conſolationis, (8) qua frigus deſperationis de algentibus membris expellant fideles, ac ſpem beatitudinis concipiant. Sub tanti Patriarchæ protectione, ac fertiliſsimæ areæ umbra ſedet gratiſsimè Eparchia N. quæ hoc poetico ſcuto ſua vota exprimit,

Dum ſtupet Orbis,
Lætetur Eccleſia Parens,
Ducem quia tenet in ſinu
Contra aeria fortiſsimum
Imperia; nam armipotens adeſt
Dominicus, ex pectore ſacro dũ naſcitur
Patris ſuperni. Indomitus haud agitur minùs,
Æthereusque, potens dum lacte alit ubere Juno;
Invaſit Hæreticorum enim agmina horrida;
Devixit ea, abyſsi uſque ad exitium terri
Regna quatiando. Adeſto nunc
Noſtro, Pater, Confeſsui,
Cujus novum cordicitùs
Fructũ dicamus, ut tua
Protegat umbra.

Hac die voce paranetica in aula capitulari, jam ad electionem præcipuam congregatis vocalibus, perorabit eximiè P. Fr. Marcus Sixto ex Lect. Philoſophiæ, & in Lycæo Divi Bonav. de Propaganda fide Studentium Magiſt. & genimina labiorum ejus ſaturabunt Electores. AREA

AREA TERTIA NARDI ET CROCI.

VEnustissima area, siquidem nardus omnibus præstantior est, quæ rufo vernat colore. Crocus autem florem cœlestis arcus colori persimilem, calicis ad modum se explicantem, habet: intra quem fructum triplicem veluti apicem coloris flamminei ex una radicula duplici filo lutei coloris hinc inde munitum profert; & juxta fontes, ac viarum semitas lætissimus est. (9)

SERAPH. P. N. S. FRANCISCUS

In ista designatur; nam ipsi memoriam Dominicæ passionis recolenti, & gratias pro ea exhibenti Jesus in Cruce positus apparuit, ac ex tunc nardis rufis floruit caro ejus in volis, plantis, & latere, plagiati Jesus figuram ferens, ac formam.

Plus ultrà. Quia tanquam crocus fertilis erupit in florem Religionis Seraphicæ versicolorem, quasi arcum cœlestem calicis instar se explicantem, qui triplicem fructum veluti apicem evangelij continet, nam ejus alumnos docuit Deo servire, non sibi solis vivere, sed & aliis proficere; & quamvis duæ familiæ videantur, tamen ex eadem radicula oriuntur duo hæc fila lutei coloris, quia sub eadem regula vivunt. Denique juxta fontem divinæ providentiæ, ac viarum semitas quotidianæ mendicationis lætissimè victant. In hujus areæ elegantiam calicem sacrat Musa.

Summè Franciscus splendida hians spatia
Calicē laborum sorbuit corde impigro;
Plura cupienti, charitate at ebrio
Iesus ab astrifero volans
Patificus orbe apparuit,
Latere, manibus, ac pedibus
Vulnera signans:
Tunc Crucifixi
Cernitur Imago vivida.
Terris modo isto; sed polo
Visus fuit de vulnere lateris cavo
Exire Jesus; hinc, Pater piissime,
Plenum ministra calicem eis
Nectare sacrato protinus,
Qui tui honoris
Concilio adsunt,
Præsules insunt,
Cuncti ut bibentes largiùs
Ambrosia ea, grates Deo dent, dummodo
Imperia meritis, jura benè, tribuant, gerant.

Hujus igitur areæ gloriā præconizabit, geminatis lætitiæ plausibus debitas rependens altissimo grates P. Fr. Hieronymus Dominguez in Cæsariensi Cœnobio Sacræloph. Lect. meritissimus.

AREA

AREA QUARTA MYRRHÆ ET ALOES.

O Doratissima, ditissimaque area : nam myrrha è cortice miras guttas exsudat summo prætio haberi solitas, quæ corporum incorruptioni mortuorum deserviunt. Aloe suavissimi est lignum odoris. Primum denotat nobilitatem, fortitudinem, ac pietatem; secundum verò bonam opinionem. (10) Quibus?

ILLUST. BOETICO-SERAPHICÆ EPARCHIÆ PATRONIS.

Hi sunt filii Sion inclyti, amicti auro optimo; myrrha enim, gutta, & casia à vestimentis eorum aureis in domibus eburneis delectaverunt Reges in honore ipsorum. Et quamvis mortui sæculo, vivunt æternè factis. Fuerunt namque potentes, fortes facti in bello, tot coronas, tot lauros reportantes, hostibus profligatis, quot conflictus inierunt. Tantæ fortitudinis volavit fama; dumque feriunt littora undæ, manebit æterna, coronata gloria. Similiter roboabit per æthera pietatum echo, quas ipsorum manus Protectrices Eparchiæ N. effuderunt magnificè, apertæ jucundè.

In tesseram igitur debitæ gratitudinis honorificum erigimus mausoleum, sacrificia Deo Patri offerentes, Dominum Jesum Christum in altari immolantes, ut sicut Angelo, percutienti populum, continere manum præcepit juxta aream Areuna Jebusæi, locum, in quo Abraham voluit suum filium Isaac immolare, ità dum circa hanc regalem horti Minoriadum aream immolatur supra altaris aram Isaac Divinus, manum suam contineat Dominus, in purgatorii lacu percutientem animas, ac eductas in fortitudine, plantet in monte sancto suo;

Quid, dic,
Signas tu
Ignis linguis
Pyramis ò alta?
An clamitas aduri
Diro lacu Heroum animas
Illustrium, qui spolia sunt
Dearum acerbarum? Heu dolor!
Sic indicas. Dolosa sint lumina tua!
Verùm, licèt vera exprimant, velocitêr
Vigil dolor cordibus abit, lacrymis quoque
Terminum oculi statuunt, nitentque vultibus
Plausus; Minorum Bœticus cœtus etenim
Triadi supernæ dicat odoram victimam,
Annuat ut facilis super ardua sydera Cœli
Ex flammis conscendere olympum, ubi gaudia perstant.

Hanc aream asperget myrrha, aloe, & cinnamomo, verba sapientiæ proferens P. Fr. JOSEPHUS MONTOYA, ex-Lec. Sacræ Theologiæ, ac in Conventu Hispalensi Sanctæ Mariæ del Valle Antesignanus, cujus oris sententia gratia lætificans spiritus

AREA

AREA QUINTA OMNIUM LIGNORUM LIBANI.

EXcelsa nimis area hæc in spectabili arborum proceritate, amœnissima in exotica germinum novitate, fragrantissima in gratissimis aromatibus, nobilitans homines, in extasim rapiens Angelos, & alliciens Deum tanquam ad hypodromum delectabilem, dum fugat Dæmonem ad orcum horribilem.

BEATISSIMA VIRGO MARIA IN PRIMO CONCEPTIONIS instanti, absque nævo candidata resplendens

Quæ, dum libanum excedit ab origine candida, elevata supra montes sanctitatum, apparet (11) pulcherrima pulchritudo pulchritudinum, pulchrorum omnium ornamentum, Deitatis rationale simulachrum, armatrix Bellona ornata forma tam bella (12) quasi Divina, vigil agens Domini bella, Chersydrum Diabolicum, & comites Belluas fortissimè debellans.

Propulsis ad stygias hostibus, ab orco resonante echo, progreditur admiratio: dum natura vel angelica fuit absorpta in ejus Conceptione. Gratia prevenit naturam: in natura gratia contulit esse. Quis vel Angelorum vidit huic simile? Admirationi congruit laudibus efferre hujusmodi rubrum refertum rosis pro spinis, candorem absque nebula, speculum sine macula, crystallum splendoris, arborem vitæ, hortum conclusum, cujus emissiones Paradisus deliciatum. Quid mirum, quod tale miraculum gratiæ, usque ad Cælum pertingens sicut specimen singularissimum gloriæ, Deum alliceret ad morandum in tabernaculo hæreditatis suæ, qui transsiliens montes, & colles, quærendo requiem, in isto requievit?

Ave Maria Gratia plena Dominus tecuM.
Miremur: Satanę caput elido magnav I
A-dami jam tuta verè en ignoras culpa M
R-eginam ò Sancti laudate via me pura M
I-s tu mundata Empireo à macula Regin A
A men, amen, pura mala vita est Virgō di C
V irgo manè acta emuni Dea palmaris t V
I-esu da Mater Vitam una Agni: carpo me L
R eges eja tui jam clamant: Munda, ò pur A
G-nata Dei, ò vivis clamarem! purè mana T
O magni Mater Jesu alma! inde actu pur A
Magna reluceat ò utinam Sedi jam purA.
Tu, magne ò Præsul, vi dic: ea manat mirA.
Magna Dei Mater pura est, novi, clamavI.

Ad hujus mysticæ Marianę areæ præsidium confugiens Wandala Minoriadum Eparchia istum theosophicum fasciculum ex N. S. D. Joannis Duns Scoti Viridario depromptum corde libat jubilo, ac devoto sacrat respectu.

THEOSOPHICORUM GERMINUM FASCICULUS.

T*abernacula justorum germinabunt.* (Prov 14) Hic loquitur Salomon de admirabili justorum glorificatione: Unde sic legunt aliqui : ex tabernaculis præsentis vitę, ubi sunt peregrini, & advenæ, ad cælestem patriam transferentur: Alij sic: *Vernabunt meritis, & gloria.* (13) Hac videbunt justi, & delectabuntur. Videbunt utique Deum, ut est in se, unum in essentia, & Trinum in Personis, omnia attributa, & relationes. An verò possit dari visio intuitiva Essentiæ Divinæ, quin videantur attributa & relationes, est inter Doctores concertatio non levis? Pro cujus dificultatis evisceratione (die 16) propugnabitur: *Quod de potentia Dei absoluta potest videri Essentia Divina* intuitivè, *quin videantur attributa, & relationes; unum attributum, quin videatur aliud, & una Persona, quin videatur alia.* Requiritur lumen gloriæ ad visionem beatam. Attamen de potentia Dei absoluta potest dari visio beatifica absque lumine gloriæ creato. Inæquales intellectus cum æquali lumine possunt elicere visiones inæquales.

Fasciculum istum subtilibus religatum filis P. Fr. Joannes Cañizarez Philo-studentium in Hispalensi Magna Domu Magister Minervalem feret in plateam, cui auxilium præstabit, & opem R. P Fr. Christophorus Caballero, Lect, Jub. & actualis Custos Provinciæ.



AREA

AREA SEXTA OMNIUM SPECIERUM AROMATUM LAUDABILIUM.

FRagrantissima area mirè consita ex omnibus speciebus laudabilium aromatum, novitate virens, vetustate florescens; & quia idem est in ea florere, ac fructificare, flores ejus fructus honoris, & honestatis, miram suavitatem halantes. Quam aptè apparent (14) omnia Spiritus dona Divini! cujus aura inspirante, area hæc Paradisus, benedictionibus afluens, in quo Deus posuit hominem. Cæterum quis est hic, & laudabimus eum?

EXC. D. REVERENDISSIMUS P. N.
Fr. PETRUS JOANNETIUS DE MOLINA,
Catholicæ Majestatis in Regia Matrit. Synodo pro Immaculata Conceptione deputatus Theologus totius Ordinis Minor. ex Min. General. Visitator Apostolicus: nunc denuò Minister General.&c.

Quem in horto Minorum constituit Dominus, tanquam fertilissimam aream in firmissima petra sitam, achate, utique, in quo septem frondosas depinxit Dei digitus arbores, delicatissima suorum charismatum aromata, quibus scrinium pectoris ejus amoris Dei solium, & subselium, lætissima dum facies, amabilisque vultus in cunctorum subditorum ore sedit, in oculis, ac in animo.

Omnium quidem plausu summa præfectura dotatus, inauguratus est vigilantior Argos spiritu sapientiæ, scientiæ, & intellectus, super quem totius Seraph. Religionis firmatur custodia, & honos. Spiritu consilij sucessor Magni consilij Angeli Seraph. P. N. S. Francisci. Spiritu Sanson fortitudinis, quo clientes foveat contra tenebrosas phalanges, ut parta victoria, gloriosis præcingantur coronis: Spiritu timoris Dei Catonem excedens, dum vitam gerit modestam, vitiorum insciam. Spiritu pietatis ut Josias resplendens, quia dum raptos ad exitiales vortices minatur officio, ut exeant in salutarem verticem, lucrantur in ipso charitatis refugium, & solamen ubertum. Sistat calamus, dum Musa pileum offert.

Flamine molli
Ejicit, alte Pater,
Dēsū charismatū imbrē
Cor in tuum spiritus sacer,
Quod, sicut area fertilis,
Virtutes varias, florigerasq́ gerit.
Harū deductus specie Francisciadū orbis
Tibi subditur. Jaci metuit thronus; nam erat
Nomen celebrius. Traditus magnum probat.
Majorem exceptus. Fassa est fortuna minorem.

Huic igitur optimo, maximoque viro in signum filialis amoris Bœtica Provincia istum fructuum Sacræsophiæ cumulum in area V. N. S. D. coacervatum D. O. S.

FRUC-

ET erit firmamentum (*substantificus panis* (15) *in terra in summis montium superextolletur super libanum fructus ejus* (Psalm. 71) Quodam sublimi sensu prophetat Psaltes Regius institutionem Venerabilis Eucharistiæ Sacramenti, quo nil pulchrius, nil melius; nam quid bonum ejus? Et quid pulchrum ejus? Nisi frumentum electorum. (16) Hoc est enim sacrum convivium, ac æternæ glorię admirabile pignus verum corpus, verumque sanguinem Domini N. Jesu Christi realiter continens: inque solis speciebus consecratis, pro ut connotantibus corpus, & sanguinem sub illis contenta formaliter consistens. Institui valuit ante Incarnationem in utero Beatissimæ V. Mariæ: tuncque ejusdem rationis esset cum instituto de facto: tantumque differentiam servarent, quatenus institutum de facto actionem adductivam connotat, illud autem actionem connotaret simpliciter productivam. Unde (die 17) defensitabitur: *quod actio transubstantiativa panis in Corpus Christi, pro ut de facto exercetur, seu applicatur, non est productiva, sed solùm adductiva.*

Istius cumuli granum purum, Subtilis Doctoris ventilabro discussum, in cellaria Domini congregabit P. Fr. FRANCISCUS PALACIOS in Collegio Doctoris Seraphici de *Propaganda fide* olim Collega, & in Besipponensi Conventu Lectoris Laurea decoratus, cui opem, dextra non remorante, præbebit R P. Fr. STEPHANUS CASTAñO Lector Jubilatus, & in Urlaonensi Cœnobio optatissimus Præsul,



AREA

AMœnissima area: fistula enim recta est, ac similis regali sceptro, purpureum ostendens corticem; cinnamomũ autẽ suavem halat odorem; ac si ori dormientis applicetur, ad interrogata respondet. Quæ omnia portendunt originem sublimem, prudentiam, & pietatem. (17) Quam planè, ac plenè! in hac exprimitur area

EXC. D. D. BONAVENTURA OSSORIO DE MOSCOSO Phelipez de Guzman, Davila, Roxas, Hurtado de Mendoza, Fernandez de Cordoba, Comes de Altamira, Marchio de Astorga, Leganez, Ayamonte, Dux de Sanlucar la Mayor, Princeps de Aracena, Dominus Septem Villarum de Campos, &c. Bœtico-Seraphicę Provincię insignis Patronus.

Cujus millies illustris rama, millies nobilis truncus, & millies inclyta, regia quidem, arbor, undè tot pullularunt rosei flores, quot purpurati Principes, tot processerunt aromata, quot mitrati Pręsul es, tot poma, & mala punica, quot diadematibus exornati Heroes, nunc plantatione pubescit, quæ fistulæ instar regali sceptro similis, purpureo coalescit in cortice.

Hęc Dynastam commendant; verúm in virum non formant. Non decus nasci Principem, nisi astruatur virtutibus in Principem nasci. Quibus autem charitatis fructibus non amœnat N. Princeps clarisſ. Bœt. Seraph. hortum? Exprefsius loquar: indigentiæ nostrę efficiunt, cinnamomi instar ori dormientis applicati, ad rogata respondere, magnificê erogando. Sic enim à longè prospicit, ac si inspiceret: sic intuetur, quasi non abessent. Quare ejus pietates, & aliæ virtutes lucidũ, regnaturæ, conscendent olympum. Interim Musa columnam dicat.

Non attollimus, ingens, signum marmoris, Heros,
Gloria, fama licet jam petiere tuæ;
Attollimus, quam possumus,
Columnam, ut Orbi prædicet
Opus in Deum, ac homines piũ.
Candor pectoris integerrimi almus
Virtutum opes in horrea
Condit. Simul tu Numini,
Hominiq carus; namplacet
Deo pietas, quam exeris
Ad Bœticam Provinciam.
Istis, virorum Maxime,
Columna fulget inclyta,
Cui non recusent cedere
Bachi columnæ, ac Herculis.
Tibi nunc, Patrone, nititur
Noster congressus. Tu basis, & columen.
Ætheris astrum, annis lassus felicibus, extes.

Huic ergo Heroico Mœcenati, munifico nimis Patrono hunc Theolog florum manipulum Bœt. Eparchia in gratitudinis pignus sacrat.

E*Gredie tur virga de radice Jesè, & flos de radice ejus ascendet.* (Isai. cap. 11.) En primum Christi in Orbem adventum, per quem ipse quasi flos fragrantissimum odorem diffudit, nascens, omni vivificavit gratia, nutrivit virtute; sic intelligũt sacri Interpretes. Sicut enim flos lætitiam impertit odoris suavitate, & foliorum pulchritudine, simulque medicinam infirmis, sic Christi nativitas. Ipse igitur est mystica flos nova pulchritudine exornans, vita nova animans, & mira lætificans salute, quasi odore mirifico: Unde non incongruè ait Apostolus: *Odorem notitiæ suæ manifestavit. Et Christi bonus odor sumus.* (18) Siquidem propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est, ut ascenderet flos, diffundens salutiferos halitus, quibus omnis evanesceret culparum fætor. Sed an hoc adventus istius primarium, aut adæquatum motivum sit, adeo ut si natura humana non fuisset in Adamo infirma, neutiquam Christus venisset in Mundum; aut potius è contra? Viget adhuc controversia apud Scholiarchas. Ad quam (die 18.) cum Subt. Mariano Doct. resolutio dabitur: *Quod, Adamo non peccante, Christus veniret ex vi præsentis decreti.*

Ad hunc florum coligendum manipulum, falcem assumet subtilem P Fr. Franciscus Perez, Philosophiæ incumbentium in Arundinensi S. P. N. S. Francisci Cœnobio Magister, cui juvamen in area offeret R.P.Fr. Christophorus Moreno, Lector Jubilatus, & in Conventu Astigiensi dignissimus Præsul.

(1) Picinel. (2) Quaresm. (3) Guilielm. (4) Cantic. 7.
(5) Philo Carp. (6) Angelom. (7) Beda (8) Apon.
(9) Philo Carp (10) Acuin. (11) Nicomed. (12) Nissen.
(13) Apud Cornel. (14) S. Anselm. (15) Apud Cornel.
(16) Zachar. cap. 9. (17) Cassiod. (18) 2. ad Corinth.

HISPALI: Ex Typ. Offic. JOSEPHI PADRINO in vico Genuensi.


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA